

Disputatio medica inauguralis, quaedam de spina dorsi vitiosa complectens ... / eruditorum examini subjicit Joannes Simpson.

Contributors

Simpson, John.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1821.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eqhxc98x>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

SPINA DORSI VITIOSA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES SIMPSON,

Anglus,

COLL. REG. CHIR. LOND. SOC. ; SOCIET. PHYS. NOSOC. GUY. SOC.
ET REG. SOCIET. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.
NECNON PRÆSES ANNUUS.

Unde hæc monstra tamen, vel quo de fornicatione requiris?

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCXXI.

N

DISPUTATIO INDICA

IN ACCURATE

ORATIONE DE

SPIRI DORSI VITIOSEA

COMPTERIA;

DEO

ANNEA ET AUREA NUMINA

EX AUTORITATE PRAEFATÆ VITIOSÆ VITIÆ

D. GEORGII BIRGI SS. T. R.

ACADEMIE POLONOGRAE VITIOSÆ

SCOTORUM

ARTICULÆ AZYMATÆ AC ADAMACI CAVITATE, ET
MONTIBUS VITIOSÆ VITIÆ VITIOSÆ

DE GREGORI SATORI

ET CORDIS VITIOSÆ VITIÆ VITIOSÆ VITIÆ
VITIOSÆ VITIÆ VITIOSÆ VITIÆ VITIÆ

TOVINA MINTONI

SCOTORUM

ARTICULÆ AZYMATÆ AC ADAMACI CAVITATE, ET
MONTIBUS VITIOSÆ VITIÆ VITIOSÆ VITIÆ

SCOTORUM VITIOSÆ VITIÆ VITIOSÆ VITIÆ VITIÆ

SCOTORUM VITIOSÆ VITIÆ VITIOSÆ VITIÆ VITIÆ

SCOTORUM VITIOSÆ VITIÆ VITIOSÆ VITIÆ

SCOTORUM VITIOSÆ VITIÆ VITIOSÆ VITIÆ

PATRUO SUO DILECTISSIMO,
JOANNI SIMPSON, M. D.
OPTIMO AMICO,
ARTIS APOLLINARIS PERITISSIMO,
MULTIS MAXIMISQUE VIRTUTIBUS ORNATO ;
OB CONSILIA SALUBERRIMA,
QUIBUS EI, PATRE ORBATO,
SEMPER CONSULUIT ;
ET SUMMA BENEFICIA IN EUM COLLATA,
NUNQUAM OBLIVISCENDA ;
HAS STUDIORUM PRIMITIAS,
UTI TESTIMONIUM, EHEU ! QUAM LEVE !
ANIMI HAUDQUAM INGRATI,
SACRAS ESSE VULT
A U C T O R.

ACTOR
VIMI HANDBUCHEN INGOLSTADT
AT TESTIMONIUM, MHN! QVAK EKAE!
NUEDAM OUTVISCENDV;
HAG STUDIORUM PRIMITIA;
TA SUMMAM ENIM IN UNI COLLETA;
REMPER CONSULIT;
QUBUS ET PATER ORBATO;
OC CONSILIV SALLUBERRIA;
MULTIS MAXIMIS AUTUSTRIS ORNATO;
VITA VOLUNTARII PERITISSIMO;
OMMO VNICO

JOANNI SIMSON, M.D.

ATLANTO EBO DIRECTISSIMO.

NECNON,

THOMÆ SIMPSON,

ARMIGERO,

COLL. REG. CHIR. LOND. SOCIO,

CONSANGUINEO SUO

ET

AMICO CARISSIMO;

NON MINUS ARTIS MEDENDI SCIENTI,

QUAM SCIENTIA, LITERISQUE

NOTABILI;

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMI

CONSILIORUM, AMICITIÆ ET BENEFICIORUM,

HAUD IMMEMORIS,

SIGNO PUBLICO

OFFERT

JOANNES SIMPSON.

СИМПСОН ЭДМОНТ

АВТОГРАФЫ

COLLECTED CHINESE BOOKS

CONCLUDING PART

III

CHINESE CALLIGRAPHY

Digitized by the Internet Archive
in 2015

Digitized by the Internet Archive

CHINESE CALLIGRAPHY

CHINESE CALLIGRAPHY

CHINESE CALLIGRAPHY

CHINESE CALLIGRAPHY

CHINESE CALLIGRAPHY

JOVANNES SIMPSON

<https://archive.org/details/b22271399>

AMICO SUO
EGREGIO ET SPECTATISSIMO,
CAROLO SLINGSBY,
ARMIGERO,
DE LOFTUS-HILL, IN AGRO EBORACENSI;
VIRO
VETERI PROSAPIA ORTO,
FIDE, AMICITIA, COMITATE, AMORE PATRIÆ,
ALIISQUE VIRTUTIBUS,
QUÆ GENUS HUMANUM ORNARE POSSUNT,
PERIN SIGNI;
HOC OPUSCULUM,
OB AMICITIAM IN EUM COLLOCATAM,
IMOQUE PECTORE CONSERVANDAM,
ANIMO GRATISSIMO
DEDICAT
AUCTOR.

ELEGY ON THE DEATH OF MARY WATSON

CAROLINA STINGRAY

BY JAMES GREGORY

IN THE VILLAGE OF ST. MARY IN THE COUNTY OF DUBLIN.

LXXXV

THESE ARE THE LAST WORDS

—“ Verum enimvero, homo, non modo certo, secun-
“ dum Naturæ leges, tempore nascitur, crescit, viget,
“ senescit, moritur; sed variis quoque, prope innumeris,
“ morbis obnoxius fit, qui *formam quamvis pulchram*
“ *corrumpant*, vires frangant, singulas corporis actiones
“ impedian, corpus sæpe gravibus doloribus exercent,
“ neque ipsi pepercerint divinæ particulæ auræ.”

GREGORY, *Conspic. Medicin. Theoret.*

W^m. Cartwright with
the respects of
The Author.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

SPINA DORSI VITIOSA

COMPLECTENS.

Auctore JOANNE SIMPSON.

EX innumeris fere valetudinis adversæ generibus, quæ homines plectere solent, nullum omnino cruciatum acerbiorem molitur, nullum potius opus illud mirabile, corpus humanum, ab ARTIFICE DIVINO exstructum, pulchritudine eximia spoliat, quam iste morbus teterimus, *struma* fere oriundus, certeve ei necessitudine arcta sociatus, spinæque dorsi infestus ; de quo, summos mihi honores me-

dicinæ ambituro, pauca disputare in animo est. Infelici enim vitæ jucunditatem ex toto eripit; qui scilicet sui movendi, ideoque auris arvorum purioribus fruendi impotens, demum, ærumnas quæsitissimas perpessus, succumbere solet.

Pater Omnipotens, providus, benevolus, omnium, quæ creaverit, amantissimus, hominem innumeris fere beneficiis donavit: ingenio scilicet ad circumspiciendum et intelligendum aptissimo, forma pene divina, ore sublimi, membris pulcherrimis arte summa confectis; mente immortali, Numinis ipsius quasi scintilla; Rectorem, denique et dominum cæteris animantibus, atque orbi terrarum ipsi præposuit. Hoc vero malum crudele fabricam tam venustam diruit; facit ut infelicem ipsius vitæ spiritusque cœli tædeat: annisque pluribus miserrimis exactis, morte demum vix aut ne vix quidem non exoptanda finitur.

Morbus exitiabilis, quem prosequor, nominari solet **MORBUS SPINALIS**. Vertebræ sunt ejus præcipua sedes; quarum scilicet una, aut plures, necnon ligamenta iis adnexa, inflammationem

lentam, sui similem et inde exulcerationem mali moris, sive *cariem*, subeunt. Hinc vertebris invicem dissociatis, *medulla spinalis* et nervi ea exorti, jam ineuntes, opprimuntur; et exinde quidam artuum *paralysi* solvuntur: quæ diu trahere, hominemque miserrimum reddere potest. Malis autem ingravescientibus, actiones partium interiorum vitæ necessariæ perturbantur et languescunt: homoque tot miseriis confectus absimitur.

Hic morbus, etsi nulli ætati neutrive sexuum parcit, infantes tamen vel impuberis potissimum aggreditur: perraro adultos et senes; nisi profecto impetus alienus spinam dorsi fortuito violaverit. Usus medicos jamdudum edocuit, eundem pertinacissimum summis artis Apollinaris præsidis et auxiliis obniti: imo vero, quamvis aliqua ex parte remediis cedat, superesse tamen corpus informe, valetudinem conquassatam, atque venustatem penitus deletam.

Siquidem Morbus *Spinalis* artus inferiores resolvere, id est, *paralysin* inferre, consuevit;

plures medici haud raro hallucinati sunt, hanc nimirum unicum urgere opinati; ejusque causæ ignari, aut immemores. Scire autem licet, artus solutos, morbo *spinali* vexante, longe aliter se habere, atque *paralysi* aliunde nata affectos. Hac enim musculi implicati molles esse solent, flaccidi, rigoris, vel qualem fert natura, penitus expertes, situs mutandi prorsus impotentes. Quod si Morbus *Spinalis* artus resolvit, musculi rigent, etsi marceant; artusque modo decussatim se habent, modo porrecti extenduntur, haud facile invicem dimovendi.

Morbo jam ineunte, et puero ægrotante, qui ad id ætatis jam pervenerit, ut rite prius ambulare potuerit, prima fere omnium nota est crurum motus difficilis, latus et inhabilis: paulo postea, hæc omnino moveri posse desinunt: id quod malum subesse luculenter insignit.

Multo frequentius, signa hujuscemodi hanc valetudinem denuntiant. Aliquanto ante ejus accessionem, infans animo et corpore languere cœpit, ad motum tardus hebescit, et inter ambu-

landum persæpe titubat, citra causam evidentem. Quod si currere, aut subito se movere nititur, cruribus ex improviso se invicem decussantibus, ex templo labitur. Si vero, nemine fulciente, corpus erectum habeat, genua tremunt; nec crura et pedes, quo velit, gressu valido dirigere valet. Non multo postea, æger dolorem femorum queritur, præsertim lecto jam affixus; simulque molestiæ sensus ad *Cardiam* relatus torquet. Si quando sedili utitur, protinus et sua sponte, crura oblique posita literam X repræsentant, necnon retrahuntur. Brevi postea, æger ambulandi fit impotens.

Siquis adultus hoc morbo ægrotat, initio debilitatem spinæ dorsi insignem, et dolorem ejusdem hebetem, conqueritur: vires artuum simul eo dilabuntur, ut vel paululum ambulare aut moveri eum pigeat atque tædeat. Deinde, femora frigere et torpere incipiunt; nec multo postea, artus subinde, animi injussu, convelluntur; præsertim noctu. Tandem ambulare, urinamque et stercus, mente imperante, retinere aut emittere, vix aut ne vix quidem potest.

Quod ad notas mali sedis proprias, processus *spinalis* vertebræ vitiosæ multum prominet; id est, reliquis supereminet; vel multi prominent, si plures vertebrarum hoc morbo vitiantur: manuque premente, dolent. Sæpen numero, ægro supino cubare non licet. Malo ingravescente, spina alii cubi fit incurva; vertebræ nempe affectæ retrorsum dimoventur. Quanto plures vertebrarum male se habeant, tanto ampliorem arcum repræsentant. Si unica laborat, anfractus fit exiguus; at homo magis periclitatur et citius absumitur; siquidem *medulla spinalis* vehementius comprimitur.

Si hoc malum vertebris cervicis contingit, infelix pulvinar capiti subjicere cogitur. Si vertebris dorsi (quod sæpius accedit) valetudo multo gravius perturbatur, et actiones viscerum magis patiuntur: vexant enim cibi fastidium, tussis sputi expers, spirandi difficultas et febris *hecticæ* quædam indicia leviora: arteriæ inter hæc haud parum concitantur. Hæc signa cito accedunt; malusque corporis habitus, vultu collapso et lurido clare prædicatur. Quibusdam ægrotantium ven-

triculus perquam irritabilis cibos et potum jam sumpta respuit: noctuque crebro vigilia torquet; vel quies somniis diris intercluditur.

DE CAUSIS.

Siquidem *medulla spinalis*, pars generis nervosi utilissima, fons nempe nervorum, qui artus omnes aliasque partes multas adeunt, arctoque nexu cum nervis *sympatheticis* sociata, vertebris, solo tutamine, includitur: non admirandum est, hasce non citra perniciem summam emolliri et luxari posse.

Morbus luctuosus, quem prosequor, si infanti accidit, raro antea patescit, et observatur, quam valde spinam arcuaverit: et mala prius ad vires languentes, unicam veluti causam, referri solent. Si adultus in hoc malum incidit, *rheumatismo*,

inter principia, torqueri videtur: at artus tandem resoluti mali veram naturam testantur.

Simul atque spina incurva jam vertebras vitiosas ostenderit, impetus alienus fere intulisse existimatur: lapsus nimirum ex alto infanti; adulto autem ictus, aut muscularum nisus vehementior, veluti ambulatio, equitatio, cursus, saltus et quæ sunt istiusmodi. Haud sane dubitandum est, quin hæ causæ aliquando morbum propositum cieverint: sed longe frequentius causa latet, vel abdita corpori inhæret.

Vertebræ antea vitiari incipiunt, quam spina arcuatur; habitusque corporis malus, id est, *struma* inquinatus, id vitium molitur. Hoc vero potissimum de infantibus prædicare licet: qui fere nullo ictu, lapsu aut alia causa evidente, prægresso, in morbum *spinalem* incidere obser vantur. Quod ad adultos attinet, istæ causæ exteræ aliquanto magis et sæpius valent: imo vero, interdum unicæ hoc malum vel *strumæ* integris intulere: quamvis fateri oporteat, raro eas,

nisi *struma* imbutis, ideoque natura proclivioribus adhibeantur, tam gravem effectum parire.

Fieri sane potest, ut ictu vehementi, lapsu aliove casu ejusmodi, vertebræ violentur, et medulla *spinali* inde pressa, artus *paralysi* solvantur, citra spinam dorsi tortam et anfractuosam. Quod si spina non distorqueatur, longe sæpius, ligamenta, non ipsæ vertebræ, læduntur; scilicet, inflammata, eoque præter naturam crassescientia *medullam spinalem* opprimunt; exulceratione, et carie haud secuturis. Quinetiam, aliquando impulsus alienus efficit ut membranæ *chordæ spinali* circumjectæ, inflamatæ, laticem aut *fibrinam* intus secernant: conjicio sane ictum persæpe hac ratione comprimere. Hic quoque *paralysin*, spina non incurva, superventuram, certeve supervenire posse, in aprico est.

Præter hæc, inflammatio vertebrarum et ligamentorum interdum spina icta nascitur; quam sequitur natura ossea secreta, *chordamque spinalem* pressura. Alias porro, ista inflammatio in vertebrae cariosas abit; unde processus *spinæ*

retro feruntur, spinaque ipsa arcum simulat: imo vero, quibusdam ægris struma maxime implicatis, abcessus *psoanus* accessit. Resolutio artuum levior aut gravior hæc omnia mala comitatur. Nosse tamen juvat, plerisque ægrotantium hunc morbum malo habitu corporis potissimum inniti-

Uti paucis igitur absolvam, *scrophula* morbi *spinalis* causa esse præcipua videtur. Hoc docent non solum quæ jam retuli; verum etiam notæ *strumosæ* cum eo crebro sociatæ; veluti, glandes *mesentericæ* tumefactæ, pectora arcta, venter tu-
midus, alæ nasi et labium superius amplificata;
quinetiam, pelvis angustior, aliaque notissima,
eodem spectantia.

Scrophulæ contingunt actiones partium inte-
riorum debiles et hebetes; præsertim, cordis,
arteriarum, venarum et vasorum absorbentium.
Hinc glandes *conglobatæ* cuti subjectæ, inflam-
matione *strumosa* vexatæ, sæpe purpurascunt:
eo quod motus sanguinis ibidem lentior facit ut
venæ turgeant. Quomodo *scrophula* vertebras
aliaque ossa emolliat, minus constat: fortasse,

vasis absorbentibus resolvendis; ita ut *superphosphas calcis*, quod arteriæ nutrices initio secernunt, non rite in *phosphas calcis* vertatur.

Haud sane ignoro multos auctores existimare *phosphas calcis* deficiens ossa *rachiticis* emollire. Cum vero accepimus pericula nuper instituta *superphosphas calcis* iisdem crebro inesse comprobasse; satisque constat, omnia ossa ex *superphosphate calcis* ab arteriis nutricibus secreto initio fieri, vasis *lymphaticis* deinde partem *acidi supervacaneam* resorpturis; quum porro notæ omnes strumæ et *rachitidis* hæc vasa insigniter languescere testantur; longe veri est similius *acidum phosphoricum* ossibus *rachiticorum* superfluere, ob vasa nempe *lymphatica* torpentia, quam *phosphas calcis* deesse. Eoque potius inducor qui ita sentiam, quod *phosphas calcis* deficere non posse videtur, citra vasorum absorbentium actionem incitatam et abnormem.

Demum vertebræ, et ligamenta iis adnexa, emollita officio gravi exequendo inhabilia fiunt; et exinde medulla *spinalis*, tot nervorum eximi-

orum fons, premi cœpit. Huc accedit, vertebras molles, onere incumbente, quod sustinere nequeunt, irritatas inflammari et exulcerari.

Aliquando sane mollities cum *struma* sociata ossibus omnibus contingit, citra inflammationem et exulcerationem. Hic quoque spina dorsi arcatur vel torquetur: ita tamen ut torsio neque eodem modo accedat, nec eandem sibi præferat sedem, nec eosdem effectus pariat. Cujus rei exemplo sit *rachitis*; nimirum ossa omnia infantibus *strumosis* emollita: hoc enim malo laborantibus spina fit incurva, haud secus atque vertebrarum carie affectis. At vero his, uti jam proposui, vertebræ retrorsus dimotæ arcum repræsentant, ideoque processus *spinosi* plus æquo prominent: *rachiticis* contra vertebræ ad alterutrum laterum, nempe, dextrorum aut sinistrorum, inclinantur. Vertebræ eo usque emolliuntur, ut musculi cum iis commissi easdem sede propria divellant: multoque sæpius, dextrorum distrahuntur, quod musculi dextri lateris sæpius et validius quam musculi alterius lateris, nituntur.

Spina infantibus *rachiticis* ita distorta non efficit ut *medulla spinalis* opprimatur. Quamvis enim canalis flectitur, haud tamen illico coarctatur; siquidem neque ligamenta crassescunt, nec vertebræ prorsus invicem dissociantur. Hinc *paralysis* raro *rachitide* affectos aggreditur.

Quinetiam, spina *rachiticis* flexa non eandem accipit aut desiderat curandicationem, quam morbus luctuosissimus, de quo agimus.

DE CURATIONE.

Hucusque absoluta re proposita, proximum est ut inquiramus, quibus medicinæ auxiliis ægro infelici, hoc malo cruciato, succurri possit. Per magni interest medicorum probe intelligere, hoc exitiabile valetudinis adversæ genus, medicina tempestive et acriter inter initia obnitente, ita arceri et debellari posse, ut ne quidem spina dis-

torqueatur. At vero lugendum est, notas hujus morbi jam ineuntis (non enim nisi principio ipso ei obstandum est) tantuli haberí solitas esse, ut pene medicum lateant; vel certe nihili fiant, vel denique aliorum referantur. Neque vero spes penitus vel miseris gravissime vexatis abjicienda: ratio enim curandi, quam prolatus sum, eorum ærumnas haud parum lenire valet; imo vero interdum salutem reducere poterit, spina dorsi quam minime arcuata et flexa.

Quoties infantes ægrotant, hic morbus non prius medici studium sibi adsciscere consuevit, quam dorsi spinam plane et multum arcuaverit. Adulti eodem tentati non raro aliunde male se habere a medico existimantur. Quod si morbi jam incipientis natura patescat, persæpe tamen æger acerbæ curationi, quam sequi oportet, se committere non vult; ideoque ea remedia tempestiva, quibus ministratis, veluti unico præsidio, exitiosum eventum præcavere licet, omnino prætermittuntur. Deinde, spina anfractuosa malorum ortum et naturam luculenter testatur: nunc

autem ars medica longe sæpius, eheu! serotina et inutilis est.

Quum igitur permulti interest, ut morbo jam nato, vel ineunti occurratur; neque medicina sera aliquid pollicetur opis: inquirere potissimum oportet, qua ratione jam inceptus et latitans, id est, spina nondum torta, detegatur.

Medicum oportet manu imposita spinam diligenter perscrutari. Quo melius ad id valeat, intelligere decebit processus *spinosos* vertebrarum cervicis et lumborum retrorsus præter naturam ferri; eosdem vero vertebrarum dorsi proprios oblique deorsum spectare: quinetiam, processum *spinorum* imæ vertebrarum cervicis cæteris esse aliquanto longiorem.

Neque nihil refert cognoscere, quæ vertebræ laborent, quæve pars *chordæ spinalis* potissimum opprimatur. Prout enim hæc aut illa pars violetur, ideoque hi aut illi nervi jam ineuntes lædantur, actiones interiores hebetatæ vel turbatæ multum variabunt. Si malum vertebris

cervicis contingit, sequitur ut caput ægre moveatur, nec pulmo, cor, et musculi spiritui accipiendō et emittendo dicati, officiis propriis rite fungantur: siquidem nervi *accessorii* et *phrenici* *cervicalibus* nascantur, *gangliaque sympathetici* nervi propria, quæ ad cervicem attinent, cordi et pulmoni nervos largiuntur. Quod si vertebræ dorsi vitiosæ efficiunt ut fontes nervorum *dorsalium* premantur, actio ciborum concoctrix labitur, alvus torpet; et musculi ventris solvuntur: potissimum vero omnia viscerum abdominis munera perturbari solent; nervus enim *splanchnicus* male se habeat, necesse est, quippe quem ramuli *gangliis* *dorsalibus* nervi *sympathetici* exorti conficiunt. Si demum vertebræ lumborum affectæ efficiunt, ut pars inferior *chordæ spinalis* multum gravetur, integerrimis respiratione et ventriculi actione, intestinum *rectum* et vesica urinæ officiis exequendis inhabilia fiant, necesse est.

Quamvis autem mali sedes longe sæpius eo usque patet, ut clare cognoscatur, cervicisne, an dorsi, an lumborum vertebræ, vitientur; inter-

dum tamen, cuinam ipsissimæ earum malum contingat, quive ex nervis *spinalibus*, jam orti, potissimum comprimantur, dictu perdifficile est. Hic vero, duæ notæ aliquid lucis afferunt: nimirum, vertebra vitiosa plus æquo sentiens, neque digiti vel leviter prementis, nec admoti caloris fit patiens.

Spinam dorsi vitiosam, a capite ad os *sacrum* usque, manu caute imposita, processibus *spinosis* singularum vertebrarum pressis, sedulo perscrutari oportet. Siquis eorum processuum præter naturam eminet, digitoque contrectante, dolet, istam vertebram laborare judicandum. Scire tamen licet, ossa tantulo sensu prædita esse, ut citra dolorem premente manu oriundum, aliquantum inflammari possint. Siquando igitur vertebra crebro et graviter oppressa non dolorem mouet, mali tamen sedes, admoto calore, sæpe patebit: cuius incitamenti, scilicet, admodum impatiens est. Spongia aqua fervida madefacta leviter spinæ adhibita a summa cervice ad lumbos imos usque, vertebram affectam dolere faciet; quam impune tamen digitus oppresserat.

Aliis alii medici remediis usi sunt, valentibus pauci. Ex omnibus vero, quæ medici excogitarent, haecce tria cæteris præpollent; nempe, cutis proxime partem affectam arte exulcerata; corpus continenter supinum et quiescens; necnon spina dorsi instrumentis idoneis fulta..

Primum ex his, id est, ulcus exurentibus excitatum, medicus ille eximius, POTTIUS, qui insigni acie morbum propositum, antea pene ignotum, descriptsit, summa laude prosequitur: hujus enim solius ope remedii se eum penitus sustulisse contendit: ulcus nimirum arte genitum cariem arcere; et deinde vertebrae (jam deleta cartilagine ista vi resiliendi prædita inter eas posita) quam arctissime invicem consociari; haud secus atque artuum ossa aliquando per *ankylosin* inter se committuntur. Perperam vero hic medicus præclarus salutem reducem illi remedio soli tribuit: non enim dubitandum est, corpus supinum et quiescens multum ad ægros ita curatos expeditos operæ contulisse.

Plures medici artis machaoniae peritissimi, hoc

malo plexos cubare supinos, nec omnino moveri jusserunt; imo vero id servatum cæteris remediis longe præposuerunt. **BAYNTONUS** exemplis editis hoc optime illustravit: natura ipsa equidem quietem malo proposito contortis plane suggerit; ægri enim semper lubentes decumbere solent; at quæsitissima molestia protinus cruciantur, si quando erigantur aut exagitentur. Neque vero **BAYNTONO** assentior, solummodo quiescendum et cubandum esse, nec aliis utendum auxiliis professo: aliquando enim venas partis ope hirudinum aut cucurbitularum cruentarum vacuefacere, et alia istiusmodi experiri, alvum scilicet purgare, oportet; quamvis hic medicus mecum per literas missas communicavit, usu se didicisse, ulcus exurentibus excitatum nunquam non graviter nocuisse; mala nempe exacerbasse, spinamque dorsi informem reddidisse.

Haud sane cætem extulerandam esse ope exurentium contendo, nisi mala jam diu perstiterint, et altius corpori radices fixerint, et spinam multum distorserint: nullus autem dubito, quin semper vasa partis vitiosæ exinanire juvet: id

quod hirudines aut *emplastrum meloës vesicatorii* imposita satis exequi posse consuerunt. Ut paucis igitur absolvam, satius et utilius est quietem remediis exinanientibus adjicere, quam alterutri horum auxiliorum unico insistere.

POTTIUS, BAYNTONUS, aliique clari nominis, instrumenta spinæ dorsi admovenda esse negant. Non profecto iis solis innitendum; quæ tamen prorsus inepta et inutilia judicare nequeo; modo rite, tempestive, nec prætermissis aliis auxiliis, adhibeantur.

Haud raro machinam istam, quam vernacule “*spinal stays*” nominamus, multum profecisse novi: quæ scilicet valida et densa sic dorsi spinæ accommodatur, ut eandem, inter cubandum, confirmet, motusque trunci læsuros prohibeat: nec alia ratione spinæ dorsi succurrit, atque lamellæ ligneæ cuivis membro aptatæ ossi fracto opitulantur.

Cum tandem didicerimus aut vertebras jam esse cariosas, aut inflammationem huc spectantem

subesse; curandi ratio hisce perspectis satis patebit. Quantum ipse, multis ægris visis, comperire potui, opus est partem affectam remediis antea relatis deplere; ægrum supinum et quietum conservare; simulque machinis idoneis eo usque inniti, ut spina dorsi fulciatur, motibusque perniciosis obviam eatur. Hancce demum curationem triplicem sequendam esse opinor, sive morbus non nisi nuper invaserit, sive jam penitus inveteraverit.

Sedes mali jam cognita statim per hirudines vel cucurbitulas cruentas vacuefieri debet; eoque plus vel minus, prout ratio ætatis et virium indicet; maximeque, prout dolor inflammationem levem aut gravem testetur. Si, morbo jam ineunte, pars insigniter doleat, manus opprimentis impatiens; opus erit bis terve venas prius deplere, quam cutis emplastro *meloës vesicatorii* exulceretur: homini simul supino decumbendum.

Ubi venæ jam rite depletæ dolorem et inflammationem sedaverint; vel si inflammatio ali-

quanto lentior urget; exulcerantibus utendum erit; nempe, prius, emplastro *meloës vesicatorii*, deinde unguento *juniperi sabinæ*, aliove istiusmodi, subinde admoto; quo minus ulcus factum sanescat. Efficiendum est, ut plus minusve puris effluat, prout suggerant et doceant ætas et vires; prout quoque morbus incumbat acerbior aut mitigior, vetustior aut recentior.

Summa ope cavendum erit, ne emplastrum *meloës vesicatorii* processum *spinosum* vertebræ affectæ obtegat. Duo igitur emplastra imponi debent, unum scilicet utrinque, quam proxime dorsi spinam; ita ut ægro supino jacere citra molestiam liceat. Utrumque eorum sesquipollicem, aut duos pollices latum esse oportet: longitudine simul tanta, ut omnes vertebrae vitiosas amplectantur; paulo ulterius sursum et deorsum pertineant. Plerasque hebdomadas ulcus ibi servandum, summa cute unguento *meloës vesicatorii* aut *juniperi sabinæ* illita. Nisi morbus inveteraverit, satis erit, tres quatuorve hebdomadas, puris fluxum moliri: quod si diu jam traxerit, et spinam dorsi valde distorserit, ulcus

multo diutius, nempe duos vel tres menses, servari decebit. Nec nisi exempla hujusmodi, me judice, ulcus ope exurentium cieri et promoveri postulant. Hirudines et emplastrum *meloës vesicatorii*, citra medicamina exurentia, optime convenient, si hic morbus levior incumbat: cicatrices enim fœdæ exurentia sequuntur. Quæ tamen minoris habendæ sunt, si morbus jam diutinus et gravis spinam jam arcuaverit: exurentia hic utenda existimo; quippe quæ facilius ulcus progignunt, et majorem puris copiam eliciunt, quam cætera exulcerando idonea.

Si æger prorsus requiescit et supinus jacet, perraro opus est amplius semel venas partis exinanire, et emplastrum *meloës vesicatorii* admoveare. Quod si, hisce remediis jam ministratis, et cute post exulcerationem arte excitatam jam sanescente, vertebra tacta aut pressa aliquantum dolet, iisdem iterum erit utendum; eoque magis aut minus id fieri oportet, pro signorum ratione.

Semper autem, quamvis hæc remedia sedulo adhibeantur, quies et corpus supinum plurimum

opitulantur: quibus sane prætermisis, salus recidiva nequaquam expectanda. Inflammatio exinde multum sedatur, et, quod præsertim notatu dignum est, spina dorsi recta et anfractuum expers conservatur.

Permagni interest, ut continenter, noctu et interdiu, æger supinus decumbat; imo vero, aliquanto post inflammationis notas sublatas. Lectus debet esse paulo firmior, durior, nec facile dorso cessurus; culcita simul opus est lævi et æquali. Ægro nunquam assurgendum erit: quod si lecto subducatur aliquamdiu, quo stragula et toralia moveantur, aut rite ordinentur, summa ope curandum erit, ut assidue truncus se supinum habeat. Quidam citius, alii serius, huic curationi subjecti, revalescere consuerunt; pro ratione ætatis, virium et morbi. Vel levissime hoc malo tentatis cubandum erit saltem per quinque vel sex hebdomadas, post vertebrarum inflammationem finitam. Quod si processus *spinosi* eminentes vertebrales admodum vitiosas arguunt, hominem quiescere et jacere oportebit, per duos vel tres menses, post quam omnia signa molesta eva-

nuerint. Ne multa, nemini ægrotantium non decumbendum erit multo post sanitatem reducem, et valetudinem corporis refocillatam.

Machina spinæ firmandæ accommodata, quam supra retuli, continenter dorso admoveri debet; nec protinus exuenda est, etiamsi homo jam redintegratus ambulare posse cœperit: haud parum enim huic malo recidivo obstabit.

Neque medici erit corporis valetudinem prætermittere. Quæcunque signa molestiam ægro facessant, idoneis medicinæ auxiliis compescenda erunt. Inflammatione jam subacta, vires refocillare opus erit victu lautiori, opimo, vino concesso, et medicamentis roborando habilibus. Ex his autem præsertim usurpanda erunt præparata ex cortice *cinchonæ officinalis*, vel ex radice *gentianæ luteæ*, vel *colombæ*: quoque *tinctura muriatis ferri*, aut *carbonas ferri*; *acidumque sulphuricum aromaticum*. Hoc sane ventriculo jucundissimum est: eundem infirmum roborat, hominique ciborum desiderium conciliat. Navigare, vel loca maritima adire, non parum juvabit:

homo quotidie ibi mari se immergere debet; modo vires sinant, et spina dorsi jam integritatem receperit.

Si vero *rachitis* spinam dextrorum aut sinistrorum inclinaverit, aliter medendum erit. Si quidem inflammatio non adest, venas vacuefacere, et summam cutem exulcerare, alienum erit. Oportebit iis musculis obniti, quorum actio vertebrae molles sede propria dimovisse videtur, efficiendo ut musculi alterius lateris ad rite agendum impellantur; ægrum tres aut quatuor horas quotidie supinum habere, quo citra molestiam corpus formam idoneam induat; viribusque succurrere et strumam debellare medicamentis et victu viribus refocillandis accommodatis. **Ma-**
china spinalis his quoque ægris auxiliabitur: at potissimum innitendum quiete, trunco supino, atque remediis valetudinem confirmaturis.

Hic non alienum judico aliquanto fusius de *rachitidis* idonea curatione disputare. Quum ossa mollia quam facillime flectuntur, et figuram, quam acceperint, annis incrementibus durata, con-

servant, summi interest torsionem præcavere. Huic in finem sedili utendum dorso et brachiis sustinendis apto. Potissimum cavere oportebit, ne pectus angustetur: quod nempe coaretatum adultis iisdem pulmonis mala intulit, quos tenellos *rachitis* plexuerat.

Acor ventriculi aliæque cibi male concocti notæ semper *rachiticos* infestant: valdeque suspieor eum ventriculi habitum cum ossium mollitie intima necessitudine consociari. Quo perspecto, *aquam calcis* utilissimam fore opinor; quippe quæ non solummodo, acore delendo, ventriculum juvabit; verum etiam aliquid operæ ad ossa redintegranda conferet.

Victus e carnisbus esse debet; evitatis frugibus, quæ facile coacescant. Siquidem alvus non raro pigra est, solvenda erit ope *aloës*, *submuriatis hydrargyri*, maximeque *magnesiæ* atque ejusdem *carbonatis*. Frigidarium interdum admidum prodest. Omnia porro, quæ secernenda et excernenda rite secerni et excerni faciunt, optime *rachitidem* aliosque morbos struma oriundos de-

bellant: qualia sunt vestitus ex panno laneo, cœlum purum, siccum et tepidum; exercitatio quotidiana, citra sudorem et fatigationem. Denique, permulta eorum, quæ *Tonica* appellantur apud medicos ministrari solent: hujusmodi sunt, præparata ex cortice *cinchonæ officinalis*, liquor *muriatis calcis*, liquor *muriatis baritæ*, et ex ferro præparata. Ex his fides maxime, ni fallor, præparatis ex ferro debetur; quæ ventriculum haud parum firmant, neque simul prægravare consueunt.

FINIS.



